

S U M M A  
C O N C I L I O R U M ,  
S U M M O R U M Q U E P O N T I F I C U M ,  
A S A N C T O P E T R O  
U S Q U E A D J U L I U M T E R T I U M ,

Omnibus in sacris Litteris versantibus apprime utilissima,  
*AB ILLUSTRISSIMO REVERENDISSIMOQUE D. D. FRATRE  
Bartholomæo Caranza, Archiepiscopo Toletano, &c. Ordinis Prædica-  
torum, pridem collecta.*

Postea vero

*Francisci Sylvii Sacrae Theologiæ Doctoris, ejusdemque Regii, ac Ordina-  
rii in Universitate Duacena Professoris, ibidemque ad Sandum Ama-  
cum Decani*

Additionibus illustrata, et aucta.



*S U P E R I O R U M P E R M I S S U :*



MATRITI: Apud Viduam Elisæi Sanchez. Anno 1766.

ANNO ILLUSTRI, ET PRÆCLARO DOMINO  
DIEGO HURTADO MENDOZÆ,

APUD REMP. VENETORUM ORATORI, ET IN SACRO-  
sancta Synodo Tridentina Cæsareæ Majestatis vicegerenti, Fr.  
Bartholomæus Caranza Miranda, Instituti S. Dominici  
S. D.

Cum mecum hisce diebus volverem, Diege, magnum & nobilitatis & studiorum decus, & nostræ laus Hispaniæ, quid mihi potissimum agendum foret, dum Deus Opt. Maxim. viam aliquam ostendit Concilio futuro, si quando, nunc admodum necessario, in tantis Ecclesiæ procellis, & vitæ malis, subiit animum relegere Majorum nostrorum Acta in Conciliis Anterioribus. Et puduit me, ut ingenue fatear, nostrorum morum expuere libuit in finum, subinde repetens, En, à quanto culmine decidimus, in segnitiem & oscitantiam nostram in Gentem à Christo redemptam, & factam rerum dominam. Ubi ille charitatis ardor? Ubi animus? Ubi dolorum & mortis contemptus, dum gregem traditum custodirent? Denique nihil fere convenit præsentì rerum statui, si quis attentius conferat cum illo, quem cernere licet in scripturis Conciliarum. Quod ut facilius contemplari possem, excerpti epitomen quandam collatione Exemplariorum, tum Latinorum, tum Græcorum, quoad ejus fieri potuit. Quam quum utilem fore multis arbitrater, ne idem illis subeundum esset fastidii & laboris, præsertim quibus aut evolvere non vacat, aut comparare non possunt tantam librorum farraginem, è re communi me facturum putavi, si quod mihi sudaram, omnibus impertirem. Proposui vero aliquot quæstiones, vel ut operis precursores, necessarias, ni fallor, tractaturis Germaniæ heresies. Itaque sub tuo Nominе editur hoc quicquid est libelli, tum ut studiosis vel ob hoc sit in pretio, tum ut tibi, cui omnia debeo, incipiam novo ēre obligari, si sensero ea suscepisse fronte, qua vel minutissima, quæ tamen ad rem literariam pertinent amplecti soles, Vale in Christo Jesu.

DIE-



# CANONES APOSTOLORUM.



*E Canonibus Apostolorum varie tradiderunt scriptores Ecclesiastici, ut diligenter annotavit Gratianus in suo volumine decretorum dist. 16. Quidam in totum rejecerunt tanquam apocryphos. Alii admisserunt sexaginta, ut Zephyrinus Papa scribens Episcopis per Siciliam constitutis. Alii vero quinquaginta recipiunt, ut Leo IX. Papa contra epistolam Niceti Abbatis. Sexta autem Synodus recepit, & probavit 85. in can. 2. prout in Græcis, & Latinis exemplaribus feruntur. Quam Synodus secutus integratos 85. canones ex Græcis & Latinis codicibus transcripsit.*

duo.

## ADDITIONE FRANCISCI SYLVII.

**N**ON magnam habendam esse rationem Canonum sextæ Syndicati, eo quod illi, qui sub ejus nomine feruntur, non sint ullius legitimi Concilii, videri potest infra post illam Synodus. Canones autem Apostolorum etsi declarati sint esse apocryphi à Gelasio, dist. 15. can. Sancta Romana, quo modo etiam illos vocant Baronius ad ann. Christi 58. Bellarminus, lib. 1. de verbo Dei, cap. 20. & alii, quia tamen in eis multa sunt utilia, & omnes præter 65. & ultimum, qui manifestissime est supposititious, vel Romanorum Pontificum auctoritate, vel aliorum Conciliorum decretis, vel Patrum sententiis inveniuntur confirmati; quemadmodum videri potest apud Turtianum, lib. 1. pro Canonibus Apostolorum, & Coriolanum in summa Conciliorum: ideo non sunt contempnendi,